DE CENSORIBVS VETERVM LITTERARIIS ORATIO

QVAM IN SOLLEMNI
SOCIETATIS LATINAE
CONSESSV
QVVM EAM PRIMVM SALVTARET
PVBLICE RECITAVIT

CONSTANTINVS LANGIVS
OETTINGA - SVEVVS
S. L. C. ET SOCIET. LAT. IENENS. COLLEG. ORDINARIVS

ACCEDIT
ORATIO
DE

POETICAE DICTIONIS AB ORATORIA DISCRIMINE

QVA
EVMDEM SOCIVM PVBLICE
DECLARAVIT

IO. FRIDERICVS SCHOEPPERLIN
NORDLINGA - SVEVVS
SACR. LITT. CVLT. ET SOC. LATIN. IENENS. COLLEGA

IENAE
LITTERIS SCHILLIANIS
CIↃ IↃ CC LIII

VIRO

ILLVSTRI CONSVLTISSIMO EXCELLENTISSIMO

LVDOV. ALBERT. FRID. KECK

SERENISSIMI PRINCIPIS OETTINGENSIS A CONSILIIS AVLICIS ATQVE ECCLESIASTICIS

VIRO

SVMME VENERANDO EXCELLENTISSIMOQVE

GEORGIO ADAMO MICHEL

SERENISSIMI PRINCIPIS ET ILLVSTRISSIMI COMITIS OETTINGENSIS A CONSILIIS ECCLESIASTICIS COETVVMQVE QVI IN TERRIS OETTINGENSIBVS CONGREGANTVR SACRORVM ANTISTITI SVPREMO ATQVE GRAVISSIMO DIVINORVM ORACVLORVM INTERPRETI DISERTISSIMO ITEMQVE SEMINARII QVOD OETTINGAE FLORET EPHORO MERITISSIMO

VIRO

ILLVSTRI CONSVLTISSIMO EXCELLENTISSIMO

IOANNI DANIELI SEGER

I. V. L. ILLVSTRISSIMI COMITIS OETTINGENSIS A CONSILIIS AVLICIS ET ECCLESIASTICIS

VIRO

SVMME VENERANDO ATQVE EXCELLENTISSIMO

CHRISTIAN. ALBERT. CHRISTHOLD

ILLVSTRISSIMI COMITIS OETTINGENSIS A CONSILIIS ECCLESIASTICIS SACRORVM QVAE DIOECESIS APPEZHOFIANA SVB SE COMPLECTITVR PRAEFECTO DIGNISSIMO ORATORIQVE SACRO LONGE SVAVISSIMO

PATRIBVS PATRIAE

CONSCRIPTIS

LITTERARVM STATORIBVS FELICISSIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS SVIS

SVMMA PIETATE COLENDIS

EXILE HOC

INGENII SVI SPECIMEN

MENTE BENEFICIORVM MEMORE

EAQVE QVA DECET OBSERVANTIA

D. D. D

CONSTANTINVS LANGIVS

ILLVSTRIS SOCIETATIS LATINAE
DIRECTOR EXCELLENTISSIME
EPHORE EXCELLENTISSIME
SODAL. ILLVSTR. EXCELL. CLARISSIMI
GENEROSISSIME NOBILISSIMI
AVDITORES SVMMOPERE COLENDI

Si cuius laborem non ex difficultatibus solum; sed ex vtilitate etiam et commodis, quae inde in hominum genus redundant, ponderare debemus, tantoque maiori eum laude tollendum existimamus; quo maiorem industriam operi impensam, quoue insigniori vtilitatis fructu studia illius compensata fuisse constat: dubitare sane non possumus, qui omnem curam et cogitationem eo conferunt, vt mores honesti atque vtiles ad pristinam consuetudinem et vsum reuocentur, quin ii tantis laudibus sint ornandi, quantas magnitudo meritorum iure meritoque videtur postulare. Nemo, cui rei publicam vtilitatem continentis salus curae cordique est, a mea sententia erit alienus, quum ab vtilitate molestia rarissime sit seiuncta, nullaque respublica stare possit atque florere, nisi sint, qui grauioribus etiam operibus suum dicare laborem non auersantur. Quare quum plurimorum hominum natura ita sit comparata, vt, nisi

 ali-

aliquod capere posſint commodum, difficultatibus deterriti, laborem defugiant vtilisſimum: non ſolum ferendos eiusmodi homines; ſed ſumma obſeruantia colendos, atque quauis data occaſione laudibus ornandos cenſeo, vt his praemiis adlecti maiori induſtria in illo perficiendo elaborent. Quantos autem honores iis conferendos esſe putemus, qui, quum praeclarisſimae conſuetudinis ea plerumque ſors fuerit, vt poſterioris aetatis homines eamdem abrogarint, in eo toti ſunt occupati, vt, ſuperatis grauioribus impedimentis, denuo illa inualeſcat? Tantum enim abeſt, vt cum illis faciam, qui maiores noſtros rudes penitus rerumque imperitos cenſent, temporibusque noſtris ad ſummum faſtigium quaeuis credunt peruenisſe, vt potius parentum memoria ſaepe multo nobiliora fuisſe inſtituta contendam; quamuis nec noſtra aetas adeo ſit effoeta, vt iisdem plane careat. Qui in perſcrutandis maiorum monimentis ſuam collocarunt induſtriam, eos mecum facere, perſuaſisſimum habeo. Nec vno tantummodo; ſed pluribus iisque grauioris momenti exemplis, quam ago atque defendo, cauſſa fulciri poteſt atque confirmari, quae vero, ne longiori, quam par eſt, praefatione aures VESTRAS elegantisſimas obtundam, praetermitto lubentisſime. Ad vnum ſolummodo, quod ad rem meam plurimum facit, iam libet prouocare. Nemini VESTRVM eſt ignotum, Graecos pariter ac Romanos, litteris operam nauantes elegantioribus, conuentus agere conſueuisſe, in quibus non ſolum ingenii ſui ſpecimina auditoribus ſuis recitarunt; ſed adnotanda et corrigenda etiam rite ſincereque indicarunt. Quem quidem morem ad maximam litterarum redundasſe vtilitatem, nemo facile audebit pernegare. Verum, vt plerumque fieri ſolet, conſuetudinem hanc, maiori, quam quae verbis posſit explicari, vtilitate inſignem, non retinuerunt mediae aetatis homines; ſed eam, tanquam inutilem atque ſuperuacaneam e medio temere ſuſtulerunt. Longum temporis ſpatium praeteriit, quo mos iſte ignorabatur ſaluberrimus, donec noſtris temporibus a bonis viris quodam modo eſt reſtitutus, qui artes elegantiores ex tenebris, quibus occultatae et circumfuſae latebant, in lucem hominumque conſpectum reuocare coeperunt, quia hanc conſuetudinem eam

ad

ad rem plurimum adlaturam adiumenti, probe perſpexerunt. In eorum numerum ſocietates, quarum collegae in liberalibus artibus, ad altiorem gradum prouehendis, elaborant, iure meritoque ſuo referendas eſſe, quis non videt, cui illarum conſtitutio eſt perſpecta? Vt enim nihil dicam de ſocietatibus, quas aliis locis florere ſcio, huius certe ſocietatis, quae inſigne academiae adfert ornamentum, rationes ad veterem ſcripta recitandi et cenſendi morem plurimum accedere, adfirmare poſſum. Videmus igitur eos etiam ad inſtaurandum hunc morem plurimum ſtudii contuliſſe, eamque ob cauſſam praeclariſſimis laudibus eſſe decorandos, qui prima huius ſocietatis fundamenta iecerunt. Quod conſilium, quum alii, qui ſequebantur, non abrogarunt; ſed in eo, vt ſocietas ſtaret atque in dies maiora caperet incrementa, ſumma contentione elaborarunt: eos longe illuſtriori honore eſſe celebrandos adparet. Vos praecipue, VIRI PRAESTANTISSIMI, qui ampliſſimum hoc collegium ornatis, omni laude eſtis maiores, quum VESTRORVM in ſocietatem meritorum multitudinem aeque ac magnitudinem nemo facile, non dicam illuſtrare; ſed ne exponere quidem poſſit. Quanto ſtudio vos id agatis, vt hac etiam ratione aliorum commodis inſeruiatur, quantosque VESTRI labores habeant ſucceſſus, res ipſa teſtatur, et praeclariſſima, quae iam edidiſtis, doctrinae et induſtriae VESTRAE documenta abunde confirmant. Quoties hanc VESTRAM ſocietatem oculis ſuſpicere mihi contigit; quoties, dum VESTROS celebraſtis conuentus, gregi auditorum licuit intereſſe: toties, neſcio qua voluptate fui adfectus, vt, licet ipſe me, qui VESTRO adſcriberer collegio, indignum iudicarem; tamen non amplius mihi poſſem temperare, quin litteris ad vos datis ea, qua par eſt, obſeruantia vos obſecrarem, vt me quoque in VESTRAM conſuetudinem cooptare dignaremini. Cuius deuotionis VESTRO inſigni beneficio conuictus vehementiſſime laetor. Neque erit quisquam, qui futili me laetitia duci exiſtimet, quum certiſſimum habeam, fore, vt ex VOBIS vberrimos non ſolum iucunditatis; ſed eruditionis etiam fructus percipiam. Quae reputans et adcuratius mecum expendens, magnitudinem beneficii, quod pro VESTRA ſingu-

ſingulari humanitate in me exſtare voluiſtis, perſpicio gratiasque animo conceptas VOBIS reddere geſtio; ſed, qua oratione, quibus verbis id fieri posſit, non inuenio. Verum ne plane ingratus atque beneficii immemor VOBIS videar, qualescumque, quas virium tenuitas admittit, gratias perſoluo, ſpem ingreſſus, fore, vt haec mea voluntas VOBIS non ſit ingrata.

PRIVS vero, quam has officii partes exſequor, iubere videtur et magnitudo beneficii, et pietas mea, vt me de inſigni antiquorum temporum conſuetudine, quam VESTRO VOS exemplo laudabiliter expresſiſtis, id eſt, de litterariis cenſoribus ex priſca aetate repetendis dicere inſtituentem, beneuole, et, vt ſoletis, humaniter audiatis. Quae quum mihi ſatis magnam audientiam factura videantur: ſuperſedeo iſtis, quibus alii audientium fauorem ſolent aucupari, verborum lenociniis.

VETERVM cenſorum hiſtoriam et rationes oratione explanaturus, quum, quae huic rei inſeruire videbantur, litterarum monimenta perluſtrarem, et perluſtratis iis horum et recitationum commisſionumque litteras arctisſimo inter ſe vinculo contineri intelligerem: nihil recte a me poſſe proponi, niſi harum quoque ratione habita, exiſtimaui. Spero igitur operam me VOBIS praeſtiturum haud iniucundam, ſi, praecipuis, quae de recitationis et commisſionis conſuetudine ſunt commemoranda, praemisſis, ad expeditiorem eius, in quo orationis meae cardo vertitur, tractationem viam parauero. Atque vt primum a recitationibus exordiamur, originem illarum a Graecis deriuandam, haud ſine ratione mihi perſuadeo, quum antiquisſimis temporibus eumdem morem apud illos obtinuiſſe, qui illorum res litterarum monimentis prodiderunt, diſerte pronuntiant *a*). Ab his vt reliquarum artium cognitio, ita haec quoque conſuetudo ad

a) Id quidem adfirmat PLATO *Timaeo III. p. 21.* edit. Stephani. Antiſthenem vero, ex Cynicorum familia philoſophum, cuius aetas in LXXX. olympiaden incidit, ſi quid eius, quod ſcripſerat, vellet recitare, Platonem, vt adesſet recitanti, rogaſſe, DIOGENEM LAERTIVM *in vita Platonis III. pag. 184.* teſtem habemus. Taceo carmina Homeri, quorum diuerſae partes antiquisſimo more a rhapſodis recitari ſolebant. Con-

ad Romanos, litterarum ſtudia colentes, fuit translata; idque eo iam tempore, quo primum omnium litteris operam dare coeperunt, accidisſe, GELLIVM *b*) habemus auctorem. Quemadmodum autem grauisſimae res, ab leuibus auſpiciis ad id, in quo poſtea fuerunt conſtitutae, peruenerunt faſtigium: ita ea aetate recitationum rationes ita erant comparatae, vt parum in iſtis adpareret ſplendoris, donec Auguſti temporibus maior illis dignitas et opulentia accederet. Nam iis demum temporibus, quibus Octauius Auguſtus imperii faſces tenebat, ſollemnes iſtas recitationes, quae in frequentisſima auditorum corona inſtituebantur, fuisſe introductas ex iis, quae in medium mox ſumus adlaturi, eluceſcet *c*). Neque enim ii eruditorum ſolum, qui vitam egerunt priuatam *d*), atque iuuenes ad eruditionis famam adſpiran-

Conſulas tamen, velim, quae vir excellentisſimus atque doctisſimus I. E. I. WALCHIVS philoſophiae doctor celeberrimus, ſocietatisque latinae Ienenſis director grauisſimus, fautor atque praeceptor meus pie colendus hac de re, pro more ſuo, id eſt elegantisſime diſputauit *in diatr. I. de ortu et progresſu artis criticae*, §. *V. pag. 12. ſeqq.*

b) Iſte enim refert, Accium poëtam, qui auream, quam vocant, antecesſit aetatem, Pacuuio legisſe carmina, in *noct. Atticis libr. XIII. cap. 2. pag. 577.* edit. GRONOVII.

c) Fuit illo tempore Aſinius Pollio, qui ſollemniores publicasque recitationes demum introduxit. Ad hanc ſententiam SENECAE teſtimonium me perduxit, qui *IIII. controu. libro, Aſinius Pollio*, inquit, *primus omnium Romanorum, aduocatis hominibus, ſcripta ſua recitauit.* Hoc vero de publicis tantum recitationibus, quae in magno eruditorum iudicumque conſesſu inſtitui ſolebant, esſe intelligendum, vel ex eo clarum eſt, quod Seneca Pollionem *hominibus*, id eſt, auditorum coronae recitasſe, confirmat, idemque, quae commodum in medium *not.* b) ſunt adlata, demonſtrant. Proinde GVID. PANCIROLLO non posſumus adſentiri, qui in *libro de rebus deperditis*, de recitationibus generatim diſputans, nititur confirmare, omnem earum originem ab Aſinio Pollione esſe repetendam.

d) Sic recitauit Virgilius, vid. SERVIVM *ad Virg. Aeneid. libr. VI. v. 861.* & *auctorem vitae Virgilianae*: Aſinius Pollio, quod teſtatur SENECA *l. c.* Titinus Capito, teſte PLINIO *in epiſt. libr. VIII. ep. 12.* Pasſienus Paullus, nobilis eques Romanus, eodem perhibente PLINIO in *epiſt. libr. VI. 15.* ipſe denique PLINIVS, id quod ab eo legimus relatum *libr. III. epiſt. 13, et 18. libr. V. epiſt. 3.* et alibi.

ſingulari humanitate in me exſtare voluiſtis, perſpicio gratiasque animo conceptas VOBIS reddere geſtio; ſed, qua oratione, quibus verbis id fieri posſit, non inuenio. Verum ne plane ingratus atque beneficii immemor VOBIS videar, qualescumque, quas virium tenuitas admittit, gratias perſoluo, ſpem ingreſſus, fore, vt haec mea voluntas VOBIS non ſit ingrata.

PRIVS vero, quam has officii partes exſequor, iubere videtur et magnitudo beneficii, et pietas mea, vt me de inſigni antiquorum temporum conſuetudine, quam VESTRO VOS exemplo laudabiliter expresſiſtis, id eſt, de litterariis cenſoribus ex priſca aetate repetendis dicere inſtituentem, beneuole, et, vt ſoletis, humaniter audiatis. Quae quum mihi ſatis magnam audientiam factura videantur: ſuperſedeo iſtis, quibus alii audientium fauorem ſolent aucupari, verborum lenociniis.

VETERVM cenſorum hiſtoriam et rationes oratione explanaturus, quum, quae huic rei inſeruire videbantur, litterarum monimenta perluſtrarem, et perluſtratis iis horum et recitationum commisſionumque litteras arctisſimo inter ſe vinculo contineri intelligerem: nihil recte a me poſſe proponi, niſi harum quoque ratione habita, exiſtimaui. Spero igitur operam me VOBIS praeſtiturum haud iniucundam, ſi, praecipuis, quae de recitationis et commisſionis conſuetudine ſunt commemoranda, praemisſis, ad expeditiorem eius, in quo orationis meae cardo vertitur, tractationem viam parauero. Atque vt primum a recitationibus exordiamur, originem illarum a Graecis deriuandam, haud ſine ratione mihi perſuadeo, quum antiquisſimis temporibus eumdem morem apud illos obtinuiſſe, qui illorum res litterarum monimentis prodiderunt, diſerte pronuntiant *a*). Ab his vt reliquarum artium cognitio, ita haec quoque conſuetudo ad

a) Id quidem adfirmat PLATO *Timaeo III. p. 21.* edit. Stephani. Antiſthenem vero, ex Cynicorum familia philoſophum, cuius aetas in LXXX. olympiaden incidit, ſi quid eius, quod ſcripſerat, vellet recitare, Platonem, vt adesſet recitanti, rogaſſe, DIOGENEM LAERTIVM *in vita Platonis III. pag. 184.* teſtem habemus. Taceo carmina Homeri, quorum diuerſae partes antiquisſimo more a rhapſodis recitari ſolebant. Con-

ad Romanos, litterarum studia colentes, fuit translata; idque eo iam tempore, quo primum omnium litteris operam dare coeperunt, accidisse, GELLIVM *b*) habemus auctorem. Quemadmodum autem grauissimae res, ab leuibus auspiciis ad id, in quo postea fuerunt constitutae, peruenerunt fastigium: ita ea aetate recitationum rationes ita erant comparatae, vt parum in istis adpareret splendoris, donec Augusti temporibus maior illis dignitas et opulentia accederet. Nam iis demum temporibus, quibus Octauius Augustus imperii fasces tenebat, sollemnes istas recitationes, quae in frequentissima auditorum corona instituebantur, fuisse introductas ex iis, quae in medium mox sumus adlaturi, elucescet *c*). Neque enim ii eruditorum solum, qui vitam egerunt priuatam *d*), atque iuuenes ad eruditionis famam adspiran-

Consulas tamen, velim, quae vir excellentissimus atque doctissimus I. E. I. WALCHIVS philosophiae doctor celeberrimus, societatisque latinae Ienensis director grauissimus, fautor atque praeceptor meus pie colendus hac de re, pro more suo, id est elegantissime disputauit *in diatr. I. de ortu et progressu artis criticae*, §. *V. pag.* 12. *seqq.*

b) Iste enim refert, Accium poëtam, qui auream, quam vocant, antecessit aetatem, Pacuuio legisse carmina, in *noct. Atticis libr. XIII. cap.* 2. *pag.* 577. edit. GRONOVII.

c) Fuit illo tempore Asinius Pollio, qui sollemniores publicasque recitationes demum introduxit. Ad hanc sententiam SENECAE testimonium me perduxit, qui *IIII. controu. libro*, *Asinius Pollio*, inquit, *primus omnium Romanorum*, *aduocatis hominibus*, *scripta sua recitauit.* Hoc vero de publicis tantum recitationibus, quae in magno eruditorum iudicumque consessu institui solebant, esse intelligendum, vel ex eo clarum est, quod Seneca Pollionem *hominibus*, id est, auditorum coronae recitasse, confirmat, idemque, quae commodum in medium *not.* b) sunt adlata, demonstrant. Proinde GVID. PANCIROLLO non possumus adsentiri, qui in *libro de rebus deperditis*, de recitationibus generatim disputans, nititur confirmare, omnem earum originem ab Asinio Pollione esse repetendam.

d) Sic recitauit Virgilius, vid. SERVIVM *ad Virg. Aeneid. libr. VI. v.* 861. & *auctorem vitae Virgilianae*: Asinius Pollio, quod testatur SENECA *l. c.* Titinus Capito, teste PLINIO *in epist. libr. VIII. ep.* 12. Passienus Paullus, nobilis eques Romanus, eodem perhibente PLINIO in *epist. libr. VI.* 15. ipse denique PLINIVS, id quod ab eo legimus relatum *libr. III. epist.* 13, *et* 18. *libr. V. epist.* 3. et alibi.

rantes ingenio elaborata aliis legerunt *e*); ſed principes etiam *f*) et magiſtratum gerentes *g*) eumdem obſeruare morem, non indignum ſibi iudicarunt. Ex quo facile intelligere poteſtis, AVDITORES, ingentem eorum fuiſſe numerum, qui honeſto atque laudabili principum exemplo excitati ea ſtuderent componere, quae audientium multitudini praelegerent. Neque in vno tantum elaborationum genere illorum induſtriam cernimus verſatam, quum alii alia ingenii ſui ederent documenta. Alii enim libellos, oratione numerorum vinculis adſtricta concinnatos, cum auditorum corona communicarunt *h*), qui, quoniam ſuauitate ſua aures animosque mirum in modum demulcebant, ſaepiſſime conſueuerunt recitari *i*). Alii contra ſermone numeris ſoluto elaborata praelegere coeperunt. Neque enim defuerunt, qui modo res geſtas litteris conſignatas *k*); modo dialogos

e) Iis licitum fuiſſe recitare, ex OVIDIO diſcimus, qui *IIII. triſt. libro eleg. 10. v. 58.* canit:

carmina quum primum populo iuuenilia legi,
barba reſecta mihi bisue ſemelue fuit.

Ex *V.* etiam *libro epiſtolarum* PLINII patet, Calpurnium Piſonem, egregium iuuenem, eumque nobilem, ſcripta ſua praelegiſſe.

f) Ex SVETONIO enim certiores reddimur, recitaſſe Auguſtum, *vita* eiusdem, *cap. 85.* Claudium, *Claud. 41.* Neronem in *vita Ner. 10.* Domitianum *in vita Domit. 2.*

g) vt conſul Nonianus fuit. Legas PLINII *epiſt. 13. libr. I.*

h) Id quidem innumeris euincere poſſemus exemplis, ex quibus haec tantum adferre libet. Virgilium II, III, et IIII. Aeneidos librum recitaſſe, perhibet, praeter alios, SERVIVS ad *Virgilii Aeneid. libr. VI. v. 861.* Paullum vero Paſſienum, equitem Romanum in primis eruditum, elegos, in quibus ciuis ſui Propertii ſtilum effingere ſtuduit, publice recitaſſe, PLINIVS refert *ep. 15. libr. VI.* a quo etiam edocemur, non ſolum Calpurnium Piſonem, quem modo nominauimus, *ἐρωτοπαίγνιον* h. e. de ludo amoris carmen elegantiſſimis ſcriptum elegis; ſed ipſum etiam verſus praelegiſſe paullo laſciuiores. De illo conferas, velim, *libri V. epiſt.* 17. de hoc vero *libr. V. epiſt. 3.*

i) Vid. PLINIVM *lib. I. epiſt. 13.* et GVID. PANCIROLLVM *de rebus deperditis p. 272.*

k) Euoluas, SVETONIVM *vit. Aug. 85. et 89.* et *vit. Claudii 2.*

logos *l*); modo orationes *m*) publice recitabant, licet quidam eo excesserint stultitiae, vt reprehendendos existimarent, qui orationes recitare non dubitarent *n*). Quos legentes audiendi insatiabili cupiditate cunctorum fere animi ardebant, ita, vt magna hominum frequentia in eum locum, quo quis recitaturus erat, conueniret. Eo enim non ii solum eruditi, qui plebeiorum ordinibus erant adscripti; sed etiam patricii se contulerunt: nec principes adeo se praebuerunt difficiles, vt auditorum gregi interesse, suaque praesentia illum illustrare recusarent; vt potius eosdem benignas aures atque patientissimas lectoribus praebuisse constet *o*). Quid? quod nec feminae honestati studentes et colentes litteras sibi temperare potuerunt, quo minus interessent recitationibus; sed vt ex iis etiam quemdam perciperent fructum, in auditoria concurrerunt *p*). Quae adhuc demonstrauimus, de publicis tantum recitationibus intelligi velim: priuatis enim non nisi amicos, quos quisque sibi elegerat, interfuisse, compertum habemus *q*). Quemadmodum autem omnes

B 2 fere

l) id testatur locus SVETONII *in vita Aug.* modo excitatus.

m) Vid. SVETONIVM *l. c.* Plinius ipse saepius orationes, eas in primis, quas in hominum manus emittere cogitabat, prius publice recitauit, quod ipse narrat in *epist. 19. libr. II. et libr. III, epist. 5.* his adde *libr. VII. ep. 13. et 18.*

n) Quorum hominum stultitiam non sine caussa ridet atque grauissimis refellit argumentis PLINIVS *libr. VII. ep. 17.*

o) Augustus enim, SVETONIO teste, *recitantes et benigne et patienter audiuit*, *vit.* eius *89.* Idem, quum Virgilius III. libros Aeneidos suae, vti supra iam indicaui, recitaret, interfuit auditorum consessui, quod testimonio suo confirmat saepius laudatus SERVIVS *ad Virgilii Aen. VI. v. 861.* Non minori studio, testante PLINIO *in epist. 13. libr. I*, Claudius Caesar audiuit legentes.

p) Talis vtique fuit Augusti soror Octauia, quae, quum Virgilius recitaret, se comitem praebuit fratri, vid. SERVIVM *l. c.* Quem vero exitum habuerit haec recitatio, discere potes, ex GVID. PANCIROLLI *libro de rebus deperd.* Hispullam quoque laudat PLINIVS, eamque, si quando recitasset, in proximo discretam velo sedisse, confirmat *libr. IIII. epist. 19.*

q) Confer. HORATIVS *satir. libr. I, 4. v. 71. seqq.* et LAEVINI TORRENTI-

fere recitantem audiendi flagrabant cupiditate: ita recitatores splendore, quem auditorum frequentia adferre solebat, capti, omnem operam in eo conferebant, vt magnus hominum concursus fieret, eamque ob caussam se recitaturos esse, variis modis significantes, alios inuitabant *r*). Alii enim libellis et codicillis vsi sunt, vt hac de re multitudinem facerent certiorem, eamdemque, ne recitationi interesse grauaretur, rogarent; alii amicos et sibi notos admonebant *s*), vt, si commodum esset, conuenirent; alii nuntios mittebant, qui cogerent populum *t*); alii denique ipsi inuestigabant auditores, vt essent, qui eos audire dignarentur *u*). Quo factum est, vt summa hominum frequentia eum in locum confluèret, quo recitationes fiebant; is vero non solum subinde immutabatur; sed etiam vnicuique, quem recitationi opportunissimum iudicabat, eligendi locum potestas relicta erat. Cuius rei litteras et rationes adcuratius perlustranti plurima occurrunt documenta, quae in medium adferre breuitas vix patitur, cui vt studeam instituti ratio efflagitare videtur *x*).

QVAM-

RENTII *commentarius ad h. l. p. 456. seq.* nec minus ex antiquioribus PLINIVS *libr. II. epist. 19. et libr. VIII. epist. 21.*

r) Quid? quod amicitiae leges postulare videbantur, et inuitare amicos; et obsequi inuitanti: licet fuerint, qui vtrumque hoc negligerent officium. Vid. iterum PLINIVM *libr. I. epist. 5. et 13.*

s) Teste PLINIO *libr. IIII. epist. 18.*

t) ibid. *libr. I. epist. 13.*

u) vid. *auctor. de caussis corruptae eloquentiae cap. 5. et* THEMISTIVM *orat. XV.*

x) Supra not. *c.* Asinium Pollionem publicarum recitationum fuisse auctorem, adfirmauimus, quare, quum ipse bibliothecam in atrio Libertatis publicauerit, in ista Romae publicas recitationes primum fuisse habitas, vero simile est. De bibliotheca Asinii Pollionis vide orationem, quam nuper admodum excudendam curauit amicus ac collega meus dilectissimus IOH. HENRICVS FELSIVS, *de Asinii Pollionis bibliotheca Romae publicata.* Recitabatur etiam in bibliotheca, quam Augustus Apollini et Musis dedicauit, quinimo in ipsa Apollinis aede, praeterea in bibliotheca Capitolina, Athenaeo, et bibliotheca Vlpia. Fiebant denique in foro, porticibus, theatris, amphitheatris, odeis, balneis, et in aedibus

QVAMQVAM autem per totum annum licitas fuisse recitationes probabile videtur: quosdam tamen menses iisdem praecipue fuisse dicatos, plurima eaque luculentissima auctorum confirmant testimonia. Nam quum et vindemiae et messium tempore in forum compellere atque in ius vocare reum, legibus esset interdictum *y*); litibusque adeo interquiescentibus iudices vacarent et cessarent iudicia: id temporis, quod otio fallere noluerunt, recitationibus voluerunt impendere. Proinde factum est, vt mensibus Iulio *z*) et Augusto *a*) nullus fere dies praeteriret, quo non aliquis recitaret, quod idem Aprili mense accidisse, PLINIVM *b*) habemus testem. Ipsae vero recitationes biduum vel triduum saepius perdurare solebant *c*). Quo illustriori enim dignitate recitator erat ornatus; quo maiore grauitate commendatam materiam tractabat et quo maiori vocis elegantia atque suauitate verba pronuntiabat: eo lubentius audiebatur. Sed longe aliud accidit illis, quorum recitationes rerum futilitas, orationis squalor molestaque et inepta pronuntiationis ratio dedecora-

bus litteratorum tum propriis; tum ad hunc vsum gratis concessis; vel pretio conductis. Longum est, hanc rem testimoniis auctorum confirmare; neque id instituti ratio permittit, licet in promtu essent documenta, ex veterum scriptorum monimentis depromta. Legas tamen BORRICHII *Antiq. vrbis cap. 12. §. 2.* PANVINII *descript. vrbis Rom. in thesauro ant. Rom. Graeu. tom. III. p. 304.* VOSSII *libr. de imitatione VII. §. 4.* et PITISCI *lexicon antiq. rom. vocabulo: recitatio.*

y) Vid. L. *omnes dies in C. de feriis 3, 12.* et VLP. in L. I. D. *de feriis.* Huc etiam referri potest ille STATII locus *in silnis III. 39.*

certe iam Latiae non miscent iurgia leges
et pacem piger annus habet messesque reuersae
dimisere forum.

confer. etiam BARTHII *comment. ad h. l. p. 383. et seqq.* et quos ibi laudat.

z) Digna est, quae legatur, *epist. 22. libr. VIII. epistolarum* PLINII.

a) Vid. IVVENALEM *III. sat. 9.* et HENNINIVM ad h. l.

b) *Libro I. epist. 13.* ex qua colligere possumus, toto anno licitum fuisse recitare.

c) Comprobat hoc exemplum PLINII, cuius orationem viri doctissimi maximo studio, adsensu et labore per biduum audiuerunt, ipso teste *in epist. libr. IIII. epist. 5.* huic adde *libr. VIII. epist. 21.*

corauit. Tantum enim aberat, vt illos sequerentur auditores; vt potius quilibet, neniis eorum deterriti, ab indoctis eiusmodi et acerbis oratoribus longissime aufugerent *d*). Ne tamen quid deesset, quod gratiam auditorum posset conciliare *e*): multi adeo elegantiae studebant, vt loti, pexi vestibusque induti pretiosis in cathedram prodirent *f*), in qua considentes *g*) de scripto *h*) recitabant. Tantum autem abest, vt horum hominum vitio damnanda iudicari possit haec consuetudo ceteroquin vtilissima; vt potius ex rectiori liberaliorum ingeniorum vsu summam enatam vtilitatem videamus. Quum enim magnus esset eorum, qui recitationibus intererant, numerus; neque solum, qui litteris erant leuiter tincti; sed humanioribus artibus probe instructi et ornatissimi: accidit, vt reuerentia auditorum incitati, scripta dubitarent accelerare; sed tanto maiorem in illis elaborandis operam collocarent; quanto maior auditorum frequentia et doctrina fuerat *i*). Quoniam vero legere non satis habuerunt; sed finita insuper oratione rogarunt, vt quisque de recitatis sententiam

d) Eiusmodi recitatorem describit HORATIVS *in arte poetica circa finem.*

e) Vide CASAVBONVM in *Persium 1. sat. 15. V. p. 505.*

f) Legas PERSIVM eiusque commentatorem modo citatum d. l. ARRIANVM *in Epict. libr. III. cap. 23.* VOSSIVM *de imit. cap. VII. §. 15.*

g) PLINII auctoritas ad hanc sententiam nos perduxit. Ille enim *libr. VI. epist. 6. dicenti mihi*, inquit, *sollicite adstitit*; *adsidet recitanti*, quae Plinii verba BVCHNERVS *ad l. c.* sic explicauit: *in foro sedebant tantum iudices; dicentes stabant; itaque illi etiam, qui ipsos honoris caussa prosequuti erant. In auditoriis vero non auditores modo per subsellia; sed ipsi dicentes in sellis et cathedris etiam considebant.* Adde PERSIVM *loco cit.* et CRESOLLIVM *de theatr. rhet. libr. III. cap. 13,* HORATIVM *epist. 19. libr. I. v. 40.*

h) Plinius enim adfirmat, actiones, quae recitarentur, omnem calorem et prope nomen suum perdere, cuius rei caussam esse existimat, quod praecipua pronuntiationis adiumenta, si scriptum recitatur, oculi et manus praepediantur. Qui vero oculi et manus aliter possent impediri, quam hac ratione, vt oculi quidem scripto essent intenti, manus vero idem tenerent? PLINIVS *libr. II. epist. 19.*

i) Quod egregie exponit PLINIVS *libr. V. epist. 5. et libr. VII. 17.*

tentiam suam diceret; neque solum, quid de vniuerso scripto; verum etiam, quid de partibus sentiendum, aperte indicaret *k*); quin immo amicis exhibuerunt, eosque, vt libellum recognitum retractarent *l*) et quae commutanda, quae eximenda, quae addenda *m*), quam diligentissime adnotarent, sunt adhortati: fieri sane aliter non potuit, quin scientia et doctrina recitantium subinde adaugeretur *n*); nihilque in manus hominum, nisi ingenio elaboratum, perfectumque industria traderetur *o*). Quanquam igitur prudentissimus quisque, vt huius vtilitatis, quam ex recitationibus redundare perspexit, particeps fieret, maxime studuit, eaque solum ratione adductus recitauit, vt, si quid esset peccatum, admoneretur *p*): tamen non defuerunt, qui alio prorsus eoque minus laudabili consilio inducti, vel gloriam aucuparentur *q*), vel, quibus cum fame luctandum erat, importunis laudibus aliorum munuscula aut coenam redimerent *r*). Si autem

k) Exempli loco videas tantum PLINIVM *libr. I. epist. 8. libr. V. epist. 13. libr. III. epist. 13.* et alia loca innumera, quae in hunc locum transscribere nolumus. Vide PLINII epistolas cura CELLARII et CORTII editas ad loca citata.

l) De recognitionibus et retractationibus vid. PLINIVM *libr. I. epist. 2. libr. IIII. 9.* et cetera loca, quae in notis, edit. CELLAR. subiectis, in medium adferuntur.

m) Iterum ad PLINIVM prouocamus, et quidem *ad libr. VII. epist. 20. libr. VIIII. 26.*

n) Hine perspicimus veritatem illius, quod Theophrastus apud DIOG. LAERTIVM dixit: *αἱ ἀναγνώσεις ποιοῦσιν ἐπανορθώσεις* h. e. recitationes sunt emendationum auctores.

o) De hoc egregio recitationum beneficio loquitur PLINIVS *libr.* VII. *epist.* 17. et *libr.* VIII. *epist.* 19.

p) In eorum numerum merito refertur PLINIVS, qui, cur recitaret, rationes elegantissime exposuit *libro V. epist. 13. Mihi duplex ratio recitandi: vna vt sollicitudine intendar; altera vt admonear, quid forte me, vt meum, fallat.* Et *libro VII. epist. 17. Sua cuique ratio recitandi: mihi quod saepe iam dixi, vt, si quid me fugit, vt certe fugit, admonear.* His adde *libr. V. epist. 3.*

q) De tali agit IVVENALIS, quum ita canit *VII. sat. 39.*

— — si dulcedine famae
succensus recites: Maculonus commodat aedes.

r) vide MARTIALEM *libr. II. ep. 27.* et ERNESTIVM *de sportulis pag. 19.*

tem vel maxime ab his discesserimus: alia tamen vitia in ipsis recitatoribus merito notari possunt s). Quodnam vero aliud inde, si recte instituatur recitatio, ad lectores redundauit commodum, quam varia auditorum laetitiae argumenta, honor adsurgendo exhibitus, plausus t), festiuae adclamationes u), congratulationes x), basia y)? Quocirca, quum maiorum nostrorum aetatem adeo litterarum et eruditionis non fuisse expertem supra monui, AVDITORES, vt illam plane despicatui habere; nostris tantummodo temporibus et inuentas artes et excultas tribuere possimus: quod singulas huius consuetudinis rationes exposui, non magni cuiusdam erroris arguendus mihi videor z).

QVEM sane laudabilem et nobis omni studio imitandum morem contemplati eadem animi contentione pergamus ad alium, quo antiquissima tempora praecipue gloriabantur, et quem vero simile est ipsis recitationibus nos debere. Vt enim praestantissima

s) Inter quae sine dubio illud est grauissimum, quod quidam recitantes famam aliorum recitationis specie deprimere studuerunt. Talis fuit iste M. Regulus bipedum facile nequissimus. Iste enim PLINIO teste *libr. I. epist. 5.* librum recitauit publicauitque, in quo Rusticum Arulaeum insectatus est, atque etiam Stoicorum simiam adpellauit. De vitiis auditorum etiam multa essent dicenda. Sed haec mittens satis duco PLINIVM citasse, qui de intempestiuis eorum interpellationibus et discessionibus multa disserit *in epist. 15. libri VI. et epist. 13. libri I.* Adde ea, quae narrat SVETON. *Claud. 41.*

t) vid. PLINIVM *libr. VI. epist. 17.* MARTIAL. *libr. X. ep. 10.*

u) vid. FR. BERNH. FERRARII *libr. III. de acclamationibus veterum* in *thesauro ant. Rom. Graeuii Tom. VI. p. 89.* vbi plura inuenies hanc ad rem facientia.

x) confer locum PLINII modo laudatum.

y) Legas EVNAPIVM *in vita Proaeresii* et PLINIVM *libr. V. epist. 17.*

z) Qui plura de hac recitandi consuetudine nosse cupit, is adeat dissertationem summi venerandi I. G. WALCHII, praeceptoris mei optime de me meriti, adeo, vt tantum ipsi debeam, quantum homini hominem debere fas est, quam *de variis modis Romanorum litteras colendi* elegantissime concinnauit §. VIIII. nec minus scriptores, qui ab illo in medium sunt adlati. His vero adiungi potest praefatio, quam scriptor quidam anonymus, libro gallico: *B. Lamy l'art de parler* inscripto, a se in germanicam linguam nuper translato, praemisit.

tissima quaeque ingenia ad litterarum studia magis incitarentur, et aliorum incenderentur aemulatione: alia inualuit consuetudo, qua duo vel plures simul ad dicendum adgrediebantur, et alternis vicibus recitabant, vt ei, qui esset optimus, statutum aliquod praemium conferretur. Quem inter et ludorum plerorumque morem, vbi, qui in certamen vocabantur, dicebantur *committi* a), maxime quum intercedat similitudo: accidit, vt ab illa denominatione haec recitandi ratio suum nomen mutuaretur et adpellaretur *commissio.* Cuius vero pugnae duo praecipue genera esse voluerunt, alterum publicum, quo plures ingenii vires periclitaturi in arenam descendebant b); priuatum alterum, et quasi fictum, de quo iam loqui nostra nihil interest, quo vnusquisque veterum scriptorum monimenta inter se conferebat, atque, quis palmam alteri in exponendis animi sensis praeripuerit, iudicabat c): quorum illud *δεῖξις, ἐπίδειξις, ἀγὼν* et *certamen Graecae Lati-*

a) vid. SVETONIVM *Aug.* 45. *Claud.* 21. CICERONEM *ad fratr. libr. III. epist.* 4. LIVIVM *libr. II. cap.* 36. et PITISCVM *notis ad Suetonii loc. cit.*

b) Hae publicae commissiones in variis locis publicis instituebantur, theatris, amphitheatris, odeis, basilicis, atrio Libertatis cet. Quoniam vero his publicis commissionibus imperatorum laudes celebrabant adulatores, teste PLINIO *panegyr. cap.* 54. §. 1. accidit, vt Caesar Augustus praetores, quorum erat ludos exhibere, moneret, ne paterentur, nomen suum meris obsolefieri commissionibus h. e. vt cauerent, ne nimiis laudibus scriptis poetarum et oratorum tolleretur, quia hoc famae atque existimationi suae obesse, quam prodesse, magis, neque sine caussa, existimauit, vid. SVETONIVM *vita Aug. cap.* 89. et ad h. l. PITISCVM, TORRENTIVM, CASAVBONVM, BOECLERVM aliosque. Praeterea hoc adnotandum censemus, commissionum nomen ad ipsa scripta esse translatum, quae in publicis hisce commissionibus consueuerunt recitari. Graece vocantur *ἀγωνίσματα*: conf. SVETONIVM *in Cal.* 53. eiusque commentatores.

c) Huc sunt referendi versus IVVENALIS *sat. VI. v.* 439.
laudat Virgilium, periturae ignoscit Elisae;
committit vates et comparat; inde Maronem,
atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Vide HENNINIVM ad h. l.

Latinaeque facundiae d), hoc vero σύγκρισις adpellabatur *e*). Solebat hoc certamen praecipue in ludis publicis institui, neque solum in *Olympiacis* et *Atticis*; sed etiam in *Circensibus* et *agone Capitolino*, quem a Domitiano Ioui Capitolino editum fuisse, compertum habemus. Quo vero mea, idonea satis auctoritate confirmata, pateat opinio: SVETONIVS *f*), TERTVLLIANVS *g*); et AVCTOR *vitae Iuuenalis h*), qui certamen eruditorum *commissionis* nomine insigniuerunt, sufficere mihi quidem videntur.

IN ludis Olympiacis, qui quarto quoque anno prope Pisam, vrbem Elidis in Peloponneso sitam, celebrabantur, eruditos quoscumque inter se fuisse commissos, luculentissima produnt testimonia. Si enim LVCIANO *i*) non omnem fidem abrogamus, Herodotus LXXXVIII Olympiade, quum ludi celebrarentur, in aedis sacrarium ingressus, non solum spectatorem ludorum se praebuit; sed ipse, historias a se scriptas magna cum gratia spectatoribus praelegens, certatorum se immiscuit gregi. Idem de Lysia, excellentissimo Syracusanorum oratore, PLVTARCHVS *k*) testatur, qui, dum ludi Olympiaci agitabantur, orationem recitauit a se concinnatam, qua Graecis de optimo, quem in reprimenda Dionysii Tyranni potestate atque audacia habuerunt, successu gratulabatur. In Atticis autem ludis, ab Atheniensibus excitatos, Sophoclem admodum iuuenem et Aeschylum, sui ingenii documenta in magna hominum, qui ad spectandos ludos confluxerant, celebritate recitantes, concertasse, a Plutarcho legimus relatum *l*). In agone quoque Capitolino *m*) omnis fere generis arti-

d) Vid. SVETONIVM *vita Calig. cap.* 20.

e) Testatur id libellus, qui ΜΕΝΑ'ΝΔΡΟΥ ΚΑΙ' ΦΙΛΙΣΤΙΩ͂ΝΟΣ ΣΥ'ΓΚΡΙΣΙΣ inscribitur, vid. DAN. HEINSIVM *in Menandri et Philistionis* σύγκρίσει apud IAN. RVTGERSIVM *var. lect. libr.* IIII. *cap.* 12. *p.* 355.

f) *Vita Claudii, cap.* 41. *et de illustr. grammat. cap.* 17.

g) *Adversus gnosticos, cap. VI.*

h) *apud* SVETONIVM *p.* 1106. *edit.* PITISCI.

i) *in dialog. pag.* 572.

k) *in vit. orat. tom. II. oper p.* 836. DIO. CHRYSOSTOM. *orat. LII. p.* 548. *seqq.*

l) *Vit. Cimonis tom. II. oper. p.* 483.

m) De quo agone consulas SVETONIVM *vit. Dom. cap.* 3. et quae CASAVBONVS et PITISCVS ad hunc locum exposuerunt.

artifices de palma certabant, eruditi etiam, vires suas experturi, ad certamen alios lacessere consueuerunt. Quos inter Delphidius et Statius Papinianus referri possunt; quorum ille, quum ex ephebis vix excesserat, carmen commisit, laudibus Iouis dedicatum, de quo AVSONIVS cecinit *n*): hic vero, incredibili totius vrbis exspectationi satisfacturus, Thebaiden suam tandem praelegit *o*).

PLVRA quidem essent, AVDITORES, quae his a me adiungi possent: ne tamen molesta earumdem rerum repetitione satietati forsan VESTRAE parum mederi videar, illis super sedebo *p*). Tamen haec sufficere credo, quibus praestructis, in exponenda censorum veterum litterariorum historia viam nostram nos facilius persequi posse auguramur. Quos si sane huius consuetudinis animam; virtutis in dicendo demonstratores; vitiorum expulsores strenuos; rectioris dicendi artis magistros; meritorum distributores praemiorum et omnem recitationum commissionumque cardinem dixero: maxime mecum consentiet, vt quisque veteris historiae perscrutator est sollertissimus.

QVVM autem, non omnes criticos grammaticos, qui sententiam de libellis ferebant, et in primis elucubrata poëtarum monimenta lima sua persequebantur, eosdem et censores ad hoc munus publice constitutos semper fuisse, proditae memoriae litterae negant: facile intelliget vnusquisque, in exponenda mune-

 rum

n) *In profess. Burdigal. rhet. V. p. 156.* edit. TOLLII Amstel. CIↃ IↃC LXXI. conferas praeterea SCALIGERVM ad h. l.

o) Quod ipse testatur in *carmine ad Claudiam vxorem; et in epicedio patris*; ac saepius *in siluis*.

p) Cuncta fere, quae de commissionibus litterariis possunt dici, ex scriptoribus eruit atque proposuit vir celeberrimus ac de litteris optime meritus CHR. GOTTLIBIVS SCHWARZIVS Academiae Aldorf. quondam P. P. in dissert. *de certaminibus veterum poetarum* atque *oratorum* A. CIↃ IↃCCCXXVIII. defendente WOLFGANGO HANNIB. LANGIO, habita. Cui possunt adiungi scriptores quos citauit excellentissimus I. E. I. WALCHIVS in *diss. de ortu et progressu artis criticae apud vet. Rom. diatr. I. § 21. not. n.) p. 45.*

q) Lectu sunt dignissima, quae HENR. STEPHANVS *de critic. veter. graec. et latin. p. 26. et seqq.* congessit.

rum eorum ratione, ne, quae distingui debebant, confundantur, cautionem summam adhibendam esse. Quamquam enim ex illorum numero, qui recitationibus et commissionibus praeessent, interdum eligebantur; inde tamen nulla ratione consequitur, neminem exstitisse censorem, nisi de criticorum censu lectum; neque fuisse quempiam ex criticis illis, qui non simul censoris in sollemniori illo consessu munere functus fuisset. Vt autem omnem eorum historiam, quantum per nostram quidem fieri potest ingenii tenuitatem atque virium imbecillitatem, paullo fusius possimus explicare: ex veterum scriptorum, quae nobis sunt tradita, monimentis origo illorum nobis erit demonstranda. Licet vero, quo iste censores constituendi mos inualescere coeperat, tempus adcurate non possit definiri atque describi: hoc tamen certum est, ab antiquissimis temporibus illius originem esse repetendam. Nemo enim, nisi litterarum Graecarum plane rudis, statim a Troiano bello censores eiusmodi inclarescere coepisse, facile poterit infitiari. Silentio iam lubens praetermitto, quae de Homeri et Hesiodi certamine in Chalcide, quum exequiae Amphidamantis peragerentur, instituto, narrat PLVTARCHVS r), cui rex Panoedes, defuncti frater, praefuisse atque definitum victori praemium, quamquam temere, tribuisse dicitur. Licet enim pro veritate huius rei antiqui cuiusdam critici libellus, qui ὉΜΉΡΟΥ ΚΑῚ ἩΣΙΌΔΟΥ ἈΓΏΝ inscribitur, stare videatur: tamen, quum multi sint, vel omnem rem negantes, vel dubitantes certe, hac narratione caussam meam corroborare non sustineo s). Quare ab vlteriori tractatione me abstinens, alia, eaque clariora, in medium profero, quibus veritas demonstratorum fulciri potest, argumenta. Quid enim prohibet, quo minus PLVTARCHO fidem habeamus t), qui scriptis suis nobis reliquit, in sollemnibus, Athenis celebratis, archontem decem viros muneris dignitate

r) Vid. PLVTARCHVM *sympos. libr. V. quaest. 2. p. 674. et de VII. sapientum conuiuio p. 153. seqq.* adde HEINSIVM *in proleg. ad Aristarch. sacr. p. 642.*

s) Conf. IO. ALB. FABRICII *biblioth. graecam tom. II. cap. 8. p. 370.* seqq.

t) *in vita Cimonis l. c.*

gnitate graues, qui certamini eruditorum praeessent, atque de singulorum virtutibus iudicarent iisque meritorum praemia decernerent, publico quasi consilio constituisse. Eamdem enim rem non solum ZENOBIVS *u*); sed etiam HESYCHIVS *x*) ille grammaticus confirmare videtur, quorum alter antiquissimis temporibus quinque iudices ad diiudicandos tragoedorum libellos fuisse constitutos, perhibet; alter vero non Athenis solum; sed in Sicilia quoque eumdem fuisse morem demonstrat. Negari igitur non potest hanc consuetudinem Graecis etiam debere acceptam referri, a quibus, vt alii plerique mores, ad Romanos, litteris operam nauantes, est translata. Id quidem multa euincunt testimonia; quae vero postea commodius poterimus percensere. Propterea, vt cetera audiatis, AVDITORES, precor.

ISTI vero censores, quoniam cum iudicibus multum conueniebant, PLVTARCHO, SVETONIO, HESYCHIO testantibus, ipsi quoque *iudicum* nomen sortiti fuerunt *y*). Hi tamen non alii sunt ac ii, qui a SVETONIO, et AELIANO *magistri z*), *brabeutae a*), *dominique suffragiorum b*) adpellantur. Fuit autem haec summa officii censorum et praecipua lex, vt de virtutibus pariter, ac vitiis recitantium sincere ac rite iudicarent. Neque enim alium in finem eosdem fuisse electos, ea ex ratione patet, quod, si vel naturali dextre iudican-

 di

u) Libro enim *III. cap. 64. tradente* SVIDA, *τὸ παλαιὸν*, inquit *πέντε κριταὶ ἔκρινον τοὺς κωμικούς.*

x) In lexico voce *πέντε* pag. 747. ex emendatione WOWERII *πέντε κριταὶ τοσοῦτοι τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον οὐ μόνον Ἀθήνησιν ἀλλὰ καὶ ἐν Σικελίᾳ*, vnde natum est prouerbium *ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται* de quo vide DESID. ERASMVM *Adag. chil. II. cent. 8. n. 58. p. 577.* edit. Froben. et DAN. HEINSIVM. *in proleg. ad Aristarch. sacr. p. 159.* nec minus IO. WOWERIVM *in polymath. cap. 17. p. 174.*

y) Vid. SVETONIVM *vit. Claud. 2. et vit. Ner. 12 et 23.* PLVTARCHVM et HESYCHIVM locis citatis.

z) conf. SVETONIVS *vit. Ner. 12, et 22.* et excellentissimus I. E. I. WALCHIVS *comm. de magistris vet. Rom.* CIƆ IƆCCC|XXXXV.

a) ibid. *in vita Neron. cap. 13.* et GRVTERVM *de iure veterum pontif. libr. I. cap. 6.* nec minus PITISCVM ad loca SVETONII modo citata.

b) vid. AELIANVS *var. histor. lib. II. cap. 8. p. 20.* seqq.

di impotentia; vel largitionibus corrupti; vel praeiudicatis implicitis mentis opinionibus; vel inuidia adducti, neglecti officii notam subierunt, partibus muneris sui defuisse, incusabantur. Tales vero vtique fuisse, ex plurimis scriptorum locis possumus euincere. Audiamus primum illum variarum historiarum scriptorem AELIANVM, qui, quum retulisset, Xenoclem in carminibus dramaticis pangendis Euripidi praeripuisse palmam, id iudicum culpa factum atque paene ridendum esse, existimat. Quare illius quidem sententia iudices fuerunt vel stupidi rerumque imperiti, qui, quid in re quaque sit aptum, nec ne, decernere nequirent; vel muneribus corrupti atque largitionibus *c*). Eiusdem rei est testis, quem iterum atque saepius in medium protulimus, PLVTARCHVS, a quo iudices praeiudicatis mentis opinionibus caecatos atque inuidia ductos indigno palmam contulisse, expressis verbis edocemur *d*). Nec meliores fuerunt iudices, a Ptolemaeo Aegyptiorum rege selecti, qui de virtutibus scriptorum, quos in ludis rex ille commiserat, iudicarent. Adeo enim, VITRVVIO *e*) teste, fuerunt humiles, vt auram popularem captantes iis, licet indignis, praemia conferrent, quos multitudini, rerum imperitae maxime, placuisse, intellexerunt. Nemo sane, credo, erit, qui me alicuius insimulauerit erroris, si nulli alii caussae putaro adscribendum, cur Horatius, iudices istos parui faciens, ab recitationibus se abstinere maluerit, eosque subinde verbis perstrinxerit asperioribus. Nouerat enim iudicum mores; nouerat plurimorum imperitiam; nouerat denique animum eorum, a pietate alienum partiumque studio addictissimum. Quo fiebat, vt Horatius, in eorum reprehensionem atque censuram incurrere nolens, plane nihil in publico auditorum iudicumque consessu praelegeret *f*). Quemadmodum vero, qui alterius vitia percensent, hoc potissimum videant necesse est, qua praecipua ratione mendis possint mederi: ita ex illa

c) apud AELIANVM *ibidem.*
d) *in vita Cimonis* l. c.
e) *in praefatione ad lib. VII. de architectura, p. 121.*
f) vid. HORATII *lib. I. sat. 10. v. 38. sat. 4. v. 73. et sat. 19. v. 40.*

illa lege alia enata eſt, qua, vt prius, quam recitati libelli emitterentur, vitia virtutibus, et peiora melioribus compenſarent, obſtringebantur *g*). Quocirca, ſi quem ſcientia et dicendi virtute praecellentem intellexerunt, in eo praeterea muneris aliqua pars verſabatur, vt in dignisſimum quemque praemia conferrent deſtinata. Haec, quoniam victores magnitudinem victoriae honore, quam pretio magis metiebantur, nunc pretioſiores, nunc tenuioris ſortis coronae fuerunt *h*). Ipſum Neronem, poſtquam de palma acriter contendit, orationis carminisque Latini coronam aliquoties vel iure; vel artibus; vel ipſa denique vi conſequutum fuiſſe, SVETONIVS refert *i*). Sed conſequuti ſunt et alii. Quum enim Accius Tiro Delphidius admodum adoleſcens in agone illo Capitolino Iouem carmine celebrasſet, aliosque longe poſt ſe reliquisſet, ab iudicibus victor pronuntiatus et eodem honore mactatus fuit *k*). Eodem certamine Lucius Valerius Pudens, quum annum ageret XIII, quod ceteris ingenio antecelluit poeta, omnium iudicum ſuffragiis coronam meruit, quod monimentum in honorem illius poſitum declarat *l*). Ex alio autem

g) teſtatur hoc *ſcholiaſtes Horatii ad Horat. artem poet. v. 387.*
h) *confer.* CAR. PASCHALIVM *de coronis*, et IOH. AND. BOSII Στεφανοφορίαν Ienae CIϽ IϽC LXVIIII. editam, aliosque apud FABRICIVM *bibliograph. ant. cap. 14. §. 13.*
i) *in vita Ner. cap. 10, et 22.*
k) conferatur AVSONIVS loco ſupra ad not. (*u*) memorato.
l) En ipſum monimentum, apud IAN. GRVTERVM *inſcription. pag. 332, n. 3.*

L. VALERIO. L. F.
PVDENTI.
HIC. CVM. ESSET. ANNORVM
XIII. ROMAE. CERTAMINE.
IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO
SEXTO. CLARITATE. INGENII
CORONATVS. EST. INTER
POETAS. LATINOS. OMNIBVS
SENTENTIIS. IVDICVM

Multa nobis esſent dicenda, ſi totum hoc monimentum illuſtrare vellemus, de agone Capitolino, quem imperator Domitianus conſulatu ſuo XII.

autem, cui verſus graecos inſcriptos legimus, manifeſtum eſt, Theodecten Phaſiliten ex tredecim certaminibus, deo cuidam ſacris, octies diſcesſiſſe victorem et coronatum fuisſe *m*).

VT autem vera adpareant, quae dixi, multi loci efficiunt, ex quibus hos iudico praecipuos, qui non tam vocabulum; quam nomen *iudicis* exponunt. Nemini VESTRVM erit ignarum, Ariſtophanem quemdam, non quidem Rhodium; ſed Byzantinum *n*) a Ptolemaeo terrarum Aegyptiacarum principe iudicis munere esſe ornatum atque ſex aliis, quorum nomina ignorantur, antea iam ex ciuitate ſelectis, adiunctum, vt vna cum illis, eruditorum commisſionibus praeesſet. Non ab re erit alienum, neque, vt ſpero, VOBIS auribusque VESTRIS iniucundum, omnem rem fuſius narrare, atque, quae VITRVVIVS *o*) explicauit, hoc loco interſerere. Sic igitur habetote:

AEGYPTIORVM rex Ptolemaeus, quum vidisſet, quanto amore Pergami rex Attalus ſtudia humanitatis coleret, quantoque in eo elaboraret ſtudio, vt, quam ipſe ad ſingulorum viſum atque iucunditatem Pergami publicauit, ſupellectili librorum, nouas ſubinde accesſiones adiungeret: incredibili aemulatione incitatus item ſibi faciendum iudicauit. Proinde non minorem, ac ille induſtriam adhibuit, vt Alexandriae magnam librorum vim vndique

XII. A. V. C. DXXXVIIII Ioui Capitolino inſtituit, in quo etiam proſa oratione graece latineque eſt certatum, teſte SVETONIO *in vita Domitiani cap.* 2. His vero et aliis, quae facile posſent addi, ſuperſedemus, praecipue quum nobis fecerit otium excellentisſimus et clarisſimus Lipſienſium Profesſor IOH. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS, qui idem marmor illuſtrauit, *in programmate, quo ad actum coronationis poeticae ſollemni ritu inuitauit auditores.*

m) Leguntur apud STEPHANVM in Φασηλὶς his verbis:

Ἡ δὲ χθὼν κόλποισι φασηλιτὴν Θεοδεκτὴν
Κρύπτει, ὃν ηὔξησαν Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες.
Ἐν χθῶνι ζήσας ἱεραῖς τρεῖς καὶ δέκ᾽ ἁμίλλαις
Ὀκτὼ ἀκηράτους ἀμφεθέμην στεφάνους.

n) vid. GER. IO. VOSSIVM *inſtit. poet. part. II. cap.* 12. §. 10. *pag.* 87.
o) *in praefatione ad libr. VII. de architectura, p.* 121.

dique congeſtam magnoque comparatam pretio, viris doctrina ornatis committeret vtendam. Neque irritus iſtius labor relinquebatur; ſed euentus optatis illius plane reſpondebat. Quare in Muſarum et Apollinis honorem ludos inſtituit, in quibus non gladiatores ſolum; ſed omnis generis ſcriptores etiam tum corporis; tum ingenii vires tentando de praemio, quod ipſe victori conſtituerat, acriter disceptarent. Quum vero is adesſet dies, quo ludi erant committendi: nihil prius illi fuit, quam vt ex eruditorum grege quosdam ſeligeret, qui de libellis recitandis ſententiam ferrent, et quis alteri palmam praeripuerit, iudicarent. Conſtituit ita, vt ſeptem viri doctrina artibusque imbuti ludis praeesſent. Quum vero, ſex e ciuitate electis, ſeptimum non ſtatim inueniret, qui hanc ad rem peragendam ipſi videretur idoneus: rem ad eos retulit, quos bibliothecae habebat praefectos, atque ex iis quaeſiuit, esſetne, cui id muneris posſet demandari. At iſti Ariſtophanem quemdam esſe dixerunt, quem ſingulis diebus in libris, ex ordine legendis ſummaque diligentia perſcrutandis, conſpicerent occupatum. Quorum oratione percepta, cogitur multitudo; conueniunt agitatores; ſingulis iudicibus definiuntur ſedes; Ariſtophanes cum ceteris accerſitur; accedit, eoque, quem ipſi indicarant, loco cum ceteris adcubuit. Admittuntur poſtea poëtae, vt primum inter ſe concertarent, atque, quae elucubrarunt, ingenii monimenta recitarent. Qui quum ſcripta ſua legerent: populus, quae ſuo probarentur iudicio, varii generis ſignis iudicum conſesſui ſignificare haud intermiſit. Quum vero ad id ventum ſit, vt quilibet ex iſtis ſuam explicaret ſententiam: ſex priores, quos rex primum elegerat, vno quaſi ore et ex compoſito eos maximis cumularunt laudibus, praemioque dignos pronuntiarunt, quos indoctas populi aures maxime demulſisſe intellexerunt. Ab horum vero leuitate, non dicam humilitate, tantum abfuit Ariſtophanes, vt, quum ſententiam rogaretur, ei qui nemini ex populo placuerat, primas palmamque tribueret. Quod quum animaduerſum eſt: non ſolum ex populi, ſed etiam ex regis pectore haud mediocris erupit indignatio. Tum Ariſtophanes ſurgere, ſilentium efflagitare, eoque facto haec ad regem populumque dicere coepit, esſe

 offici-

autem, cui versus graecos inscriptos legimus, manifestum est, Theodecten Phasiliten ex tredecim certaminibus, [illegible] cris, octies discesisse [illegible] ex coron[illegible]

VT autem [illegible] quae [illegible] ex quibus hos iudic[illegible] qui [illegible] nomen *iudicis* expono[illegible] Aristophanem quemdam, [illegible] qu[illegible] num *n*) a Ptolemaeo [illegible] pri[illegible] munere esse ornatum atque [illegible] antea iam ex ciuitate [illegible] ditorum commissionibus praeesset. Non [illegible] neque, vt spero, VOBIS auribusque VESTRIS [illegible] rem fusius narrare, atque, quae VITRVVIVS *o*) [illegible] loco interserere. Sic igitur habetote:

AEGYPTIORVM rex Ptolemaeus, quum [illegible] amore Pergami rex Attalus studia humanitatis coleret, [illegible] in eo elaboraret studio, vt, quam ipse ad singulorum [illegible] iucunditatem Pergami publicauit, supellectili librorum, [illegible] subinde accessiones adiungeret: incredibili aemulatione [illegible] item sibi faciendum iudicauit. Proinde non minorem, ac ille industriam adhibuit, vt Alexandriae magnam librorum vim vndique

XII. A. V. C. DXXXVIIII Ioui Capitolino instituit, in quo etiam prosa oratione graece latineque est certatum, teste SVETONIO *in vita Domitiani cap.* 4. His vero et aliis, quae facile possent addi, supersedemus, praecipue quum nobis fecerit otium excellentissimus et clarissimus Lipsiensium Professor IOH. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS, qui idem marmor illustrauit, *in programmate, quo ad actum coronationis poeticae sollemni ritu inuitauit auditores.*

m) Leguntur apud STEPHANVM in Φασηλίς his verbis:

Ἡ δὲ χθὼν κόλποισι Φασηλίτην Θεοδέκτην
Κρύπτει, ὃν ηὔξησαν Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες.
Ἐν [illegible] ἱεραῖς τρεῖς καὶ δέκ' ἁμίλλαις
Ὀκτὼ ἀκηράτους ἀμφεθέμην στεφάνους.

n) vid. GER. IO. VOSSIVM *instit. poet. part. II. cap.* 12. §. 10. *pag.* 87.
o) *in praefatione ad libr. VII. de architectura, p.* 121.

dique congestam magnoque comparatam pretio, viris doctrina ornatis committeret vtendam. Neque irritus istius labor relinquebatur; sed euentus optatis illius plane respondebat. Quare in Musarum et Apollinis honorem ludos instituit, in quibus non gladiatores solum; sed omnis generis scriptores etiam tum corporis; tum ingenii vires tentando de praemio, quod ipse victori constituerat, acriter disceptarent. Quum vero is adesset dies, quo ludi erant committendi: nihil prius illi fuit, quam vt ex eruditorum grege quosdam seligeret, qui de libellis recitandis sententiam ferrent, et quis alteri palmam praeripuerit, iudicarent. Constituit ita, vt septem viri doctrina artibusque imbuti ludis praeessent. Quum vero, sex e ciuitate electis, septimum non statim inueniret, qui hanc ad rem peragendam ipsi videretur idoneus: rem ad eos retulit, quos bibliothecae habebat praefectos, atque ex iis quaesiuit, essetne, cui id muneris posset demandari. At isti Aristophanem quemdam esse dixerunt, quem singulis diebus in libris, ex ordine legendis summaque diligentia perscrutandis, conspicerent occupatum. Quorum oratione percepta, cogitur multitudo; conueniunt agitatores; singulis iudicibus definiuntur sedes; Aristophanes cum ceteris accersitur; accedit, eoque, quem ipsi indicarant, loco cum ceteris adcubuit. Admittuntur postea poëtae, vt primum inter se concertarent, atque, quae elucubrarunt, ingenii monimenta recitarent. Qui quum scripta sua legerent: populus, quae suo probarentur iudicio, varii generis signis iudicum consessui significare haud intermisit. Quum vero ad id ventum sit, vt quilibet ex istis suam explicaret sententiam: sex priores, quos rex primum elegerat, vno quasi ore et ex composito eos maximis cumularunt laudibus, praemioque dignos pronuntiarunt, quos indoctas populi aures maxime demulsisse intellexerunt. Ab horum vero leuitate, non dicam humilitate, tantum absfuit Aristophanes, vt, quum sententiam rogaretur, ei qui nemini ex populo placuerat, primas palmamque tribueret. Quod quum animaduersum est: non solum ex populi, sed etiam ex regis pectore haud mediocris erupit indignatio. Tum Aristophanes surgere, silentium efflagitare, eoque facto haec ad regem populumque dicere coepit, esse

 offici-

officium iudicis atque praecipuam legem, vt non de aliorum lucubrationibus, quas quidam temere exscripserunt, atque pro suis vendita runt; sed de istis solum sententiam dicerent, quae ab ipso scriptorum ingenio essent profecta. Huic legi se fecisse satis, quum istum probasset, qui plebi rerum imperitae displicuisset. Neminem enim ex istis, quos commodum audiuissent recitantes, nisi vnum hunc, quae ex eius fluxerint ingenio, legisse; sed aliorum, quorum scrinia compilassent. Qua oratione habita populus in admirationem; rex in dubitationem agitur. Quare Aristophanes, plurimis voluminibus congestis, fidem subiecit oculis. Commisit enim ea cum recitatis, locaque, quae ab istis sunt exscripta, ostendens liquido demonstrauit, aliena istos pro suis praelegisse. Quod quum perspexisset rex: istos condemnatos et ignominia adfectos dimisit; Aristophanem vero amplissimis ornatum muneribus bibliothecae praefecit. Verendum mihi sane est, AVDITORES, ne tam ampla oratione nauseam vobis creem. Itaque haec mittens, ad alterius rei tractationem me accingo.

PRAE aliis iam audiamus Plutarchum p), qui Cimonem ab Arepsione Atheniensium archonte tragicorum poëtarum commissioni praefectum fuisse, prodidit. Nam quum bello Medico confecto, Phaedone archonte Appollinem consulerent Athenienses, Pythia respondit, vt ossa Thesei sollicite collecta apud se religiose conderent. Qui tametsi diu multumque quaerentes tandem acceperunt, Thesea, quum in Scyrum fugeret, ab rege Lycomede de rupe fuisse praecipitatum: tamen ob austeritatem et feritatem incolarum sepulchrum eius inuenire ardua res videbatur. Quamquam autem adeo inhumani fuerunt Scyrii, vt nec locum significarent, nec quaerendi facerent potestatem: tamen Cimon insula capta sepulchrum inuestigauit et monente aquila, ossa tandem inuenta triremi suae imposuit et multis cunctorum ouationibus in vrbem transmisit. Quanta autem admiratione cadauer inuentum prosequuti fuerint omnes, argumento nobis sunt tragoedorum commissiones, eo institutae, vt huius rei memoria ad posteros propagaretur. Huius in diei sollemnitatem quum duo poëtae Sophocles et Aeschylus congrederentur et, ipsis iudicibus adolescen-

p) *in vita Cimonis l. c.*

tiae vitium praeiudicata opinione augurantibus, Aeschylus palma dignus videretur: consultum putauit archon, Cimonem et decem duces exercituum iuratos iudices pronuntiare. Omnium vero iudicum celeberrimus fuerat Spurius Metius Tarpa, criticus grammaticus in numero quinque censorum iudex, qui recitationibus, in aede Appollinis vel Musarum, hanc ad rem ab Augusto definita q), habitis praeerat. Tanta autem horum, Tarpae praesertim, fuerat auctoritas, quanta dici vix potest, adeo, vt ne publice quidem ea dicere liceret, quae lima sua prosequuti non fuerunt. Confirmat id ipse CICERO r); testatur HORATIVS s); exponit eiusdem SCHOLIASTES t).

 Quam

q) vide SVETONIVM *in vit. Aug. cap.* 29. et PITISCVM ad h. l.

r) in *epist. ad diuers. libr. VII. epist.* 1. *Nobis autem erant*, inquit, *perpetienda, quae Spurius Metius probauisset.* Vid. excell. ERNESTI in indice Ciceron. voce MAECIVS. De iusta huius vocabuli scriptione vide excellentissimi I. E. I. WALCHII *diss.* saepius iam laudatam *diatr. I. §. 20. p. 44.* vbi contra Bentleium *Metium* pingendum esse, non *Maecium*, statuit.

s) qui bis huius Tarpae mentionem fecit, primum quidem *I. serm. libr. eclog. IV. v. 36.* his verbis:

- - - - *haec ego ludo*
quae neque in aede sonant certantia iudice Tarpa
nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

deinde in *arte poet. v. 387.* vbi haec ad Pisones scribit:

- - - - *si quid tamen olim*
scripseris, in Metii descendat iudicis aures.

Conferas ad haec loca, quae TORRENTIVS adnotauit.

t) ad loca *Horatii excitata.* En ipsius verba: *Metius Tarpa fuit iudex criticus adsiduus poematum et poetarum in aede Apollinis seu Musarum, auditor, quo conuenire solebant poetae suaque scripta recitare, quae nisi a Tarpa aut alio critico, qui numero erant quinque probarentur, in scenam non deferebantur.* Intelligimus non solum ex hoc; sed etiam ex aliis pluribus testimoniis, quae hact[enu]s in medium sunt adlata, hanc iudicandi consuetudinem a Graecis ad Romanos transiisse, quod eam ob caussam mihi fuit adnotandum, ne hoc sine caussa supra, quum de origine eius apud Graecos disputaui, adfirmasse viderer. An vero idem semper numerus iudicum sit seruatus, id quidem pro certo cur adfirmemus, rationem non habemus. Hoc certe verum est, magnum eorum numerum fuisse, qui de recitationibus ac scriptis scenicis sententiam ferebant. Colligimus hoc ex HORATII verbis *libr. 1. epist. 19. v. 39. et 40.*

non ego nobilium scriptorum auditor et vltor
grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.

Nihil

Quam magnum igitur ſit deſiderium meum, fructus percipiendi, qui ex praeclara hac veterum conſuetudine hauriri alioquin poſſunt: tamen hodierna die illud a VESTRA humanitate et beneuolentia prorſus expletum intelligo. VOS enim me nimis verecundum, et, quum ipſe rem omnem deſperarem, VESTRO, neque Muſis indigno more exceptum in AMPLISSIMAM VESTRAM SOCIETATEM intromiſiſtis. Quum autem tantum ſit beneficium, quantum a me referri nullo modo poteſt: efficiam tamen animo, vt eodem non plane videar indignus. Atque, quum pro VESTRA incolumitate ſinceris tantum votis contendendum mihi eſſe videam: an quidquam eſt, quod TVAM, ILLVSTRIS SOCIETAS, magis ſtabilire poſſit ſalutem, quam CLEMENTISSIMI PROTECTORIS TVI, SERENISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI, TERRARVM GOTHANARVM ET ALTENBVRGENSIVM HEREDIS, incolumitas et ſalus? Hunc, o benigniſſimum numen, CELSISSIMAE FAMILIAE decus, praeſidium artibus et SOCIETATI NOSTRAE PALLADIVM, quam diutiſſime ſerues! Adiuues praeclara ILLVSTRISSIMI HENRICI COMITIS RVTHENI XXVI. PRAESIDIS NOSTRI in rem noſtram ſtudia EVMque ſecundo vitae ſine vlla offenſione curſu bees. VOS quoque, VIRI EXCELLENTISSIMI, DIRECTOR ET EPHORE GRAVISSIMI, adiumentum SOCIETATIS noſtrae et vniuerſae rei litterariae ornamentum, vt laudabiles VESTRI labores maioresque ſubinde conatus ad fructus noſtros diu poſſint redundare, ſoſpites tueatur et incolumes praeſtet idem prouidentiſſimum numen. Omnibus inſuper SOCIIS ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, NOBILISSIMIS, atque DOCTISSIMIS et diuturnam et beatam vitam precor, vt et augere commoda SOCIETATIS et ab aliis aucta ipſi poſſint percipere, perpetuos laborum ſuorum comites.

Nihil enim prohibet, quo minus per grammaticas tribus cenſorum, vel iudicum coetum intelligamus, quos Horatius, ex ſententia Torrentii ad h. l. ob multitudinem hoc nomine adpellat, atque inſtar populi Romani in tribus diuidit. Licet autem haec ita ſint; nolumus tamen cum Theodoro Marſilio catalogum horum iudicum ſuppeditare eorumque nomina percenſere. Vide eius ſententiam, et rationes, quibus inductus fuit, vt hanc foueret opinionem in programmate excellentiſſimi I. C. GOTTSCHEDII, quod ſupra iam laudauimus, *pag. IIII. et V.*

SCHOEPPERLINI

DE

POETICAE DICTIONIS AB ORATORIA DISCRIMINE

ORATIO.

Huius discriminis ignoratio facit scriptores nostri temporis impuros. STVRM.

QVAMQVAM ex longa, quam pridem iungebamus, consuetudine et morum similitudine et communitate studiorum stabilita ignorare non potes, LANGI doctissime, amice, si verius loquar, paene vnice, me, si cuiuis vitio parum; certe adulationi minime omnium fauere; nunc vero, quum TVI potissimum caussa AMPLISSIMAE quidem SOCIETATIS iussu surrexerim, ne ego, TVI amantissimus et ciuis prope TVVS, in TVAS laudes parum verecunde videar excurrisse, tamen vereor. Siue enim amicitiae nostrae, quas numquam migrasti, leges; siue doctrinam TVAM non sane vulgarem; siue, quod primum esse debebat, pietatem TVAM plane sinceram fuero contemplatus: credo ego, me a TVIS laudibus abstinere non posse; ne tunc quidem, si singula considerem. Neque tamen iste meus amor, quo in TE flagrare numquam desinam, perfecit: sed ipsum potius ingenium plane TVVM diuturno rerum magnarum vsu subactum, vt, quum mei muneris ratio postulare orationem TVAE similem videatur, nihil tamen meo ingeniolo opus

 esse